

AD GULIELMUM MONIOIUM ANGLIAE BARONEM ANDREAE AMMONII LUCENSIS CARMEN ASCLEPIADEUM

A1 v.1 Monioi, procerum, iudice me, decus,
 2 aut quos Albioneus Nereus alluit,
 3 aut quaevis regio culta viris alit,
 4 qui cunctis merito diceris omnium
 5 Maecenas, Clarii fautor Apollinis,
 6 non tu turba tui quod facit ordinis
 7 doctae posthabitis Pallados artibus
 8 elumbam Veneris militiam colis,
 9 damnosamque avide non jadis aleam
 10 nec noctes posito continuas mero.
 11 Sed cum sis proavis nobilibus satus,
 12 et census tibi cum suppetat - haud tamen
 13 istis par animis et meritis - dies
 14 et noctes operam das studiis bonis,
 15 post exercitium atque id breve Martium.
 16 Electi in manibus sunt tibi codices,
 17 quo praeclarius aut suavius est nihil.
 18 Namque aut sancta legis dogmata Socratis
 19 quis nos ad superos evehimur prope,
 20 aut spectas hominum saecula et est tuis
 21 subjectum omne oculis, dispositum velut
 22 in quodam amphitheatro, Iapeti genus,
 23 immo et principium quo tegimur globi.
 24 Cujus si libeat discere fabricam,
 25 spectas ut bonitas summa Deo insita
 26 formam turpe Chaos sumere jusserit
 27 et pugnam veterem dispulerit suum
 28 rerum seminibus constituens locum,
 29 ornarit variis ignibus aethera
 30 impletique suis cuncta animantibus,
 31 nec mundi vacuum particulam incolis
 32 esse ullam dederit, maxima portio
 33 humanos oculos effugiat licet.
 34 Spectas ut figulus praeterea bonus
 35 divum finxerit et nos in imaginem,
 36 atque ignem aethereis sustulerit plagis.
 37 Morborum segetes unde homini volunt
 38 aerumnasque datas, saecula ut aurea,
 39 mox argentea, dein aenea, plenaque
 40 postremo scelerum sint sata ferrea,
 41 ut quae Marte pari cum Vitio diu
 42 pugnavit Probitas se dederit fugae.
 43 Hic si humana velis nostraque persequi,
 44 cernis bella hominum perniciem gravem

45 fortunaeque vices et varios jocos,
 46 ut sceptrum Assyrio Medus ademerit,
 47 ut Perses itidem hunc sub juga miserit,
 48 et Persem Macedo et rursus Agenoris
 49 Spartem sede gravi proruerit nepos,
 50 terrarum imperium quod fuerat vagum
 51 diffractis Libyes viribus aemulae
 52 ut demum Aeneadis cesserit omnium.
 53 Ut nec perpetuum hic constiterit quoque,
 54 dirus nam framea sanguinea Getes,
 55 Istri colluvies, e Capitolii
 56 ac rerum Aeneadas culmine depulit.
 57 Tum ferro datus est orbis et ignibus,
 58 tum dextris data sunt cuncta rapacibus.
 59 Tum Francus, toties sanguine quod suo
 60 conatus fuerat dis renuentibus,
 61 tandem agros tenuit sceptraque Gallica,
 62 Ungrus Pannoniam, Scotus Hiberniam,
 63 quaeque nunc habeat tesqua Caledonum
 64 Hyblaeis apibus gens numerosior,
 65 Slavus Dalmaticum tunc tenuit solum.
 66 Est et sceptriferae olim Italiae plaga
 67 quae tunc impositi signa tenet jugi
 68 Longobardia adhuc, cepit ab Angliis
 69 tunc nomen quod habet, vestra Britannia.
 70 Sic est, longa dies innovat omnia.
 71 Verum propositi quid vagor immemor ?
 72 Haec spectacula sunt, haec studia, hi loci
 73 oblectant quae animum praecipue tuum,
 74 haec te praeterea juncta modestiae
 75 candorique tuo regibus intimum
 76 et suavem faciunt omnibus ac mihi
 77 patronum et dominum et, si pateris, deum.

ECLOGA. INTERLOCUTORES: LYCAS ET AMMON

AMMON

A2 v.1 Tune ades, o dulcis Lyca ? Jucunde sodalis,
 2 tune ades ? Extremis quis te deus attulit oris
 3 terrarum, et tantos jussit penetrare recessus ?
 4 Luminibus vix credo meis. Sed tempore nullo
 5 nec meliore loco poteris occurrere nobis.
 6 Hic nam sceptrata tenent pulsas nunc gaudia curis,
 7 ac scelus et grande est hilares non claudere soles.
 8 Alma Venus, pharetrata cohors, et pronuba Juno,
 9 et satyri, et Dryades, montanaque numina saltant.
 10 Pulcher Hymen hoc agmen agit. Comitatur Iacchus,
 11 et sequitur pleno colludens Copia Cornu.
 12 Pan quoque multiplici, modulatur, arundine, carmen
 13 personat aurata Triton sed litora concha.
 14 Naiades e liquidis excitae fontibus, udo
 15 clune micant, crispantque latus, Tethynque secuta
 16 glaucarum petulans Nympharum turba movetur.

LYCAS

17 Non ita defessis longis ardoribus, Ammon,
 18 grata quies, patulae si contigit arboris umbra,
 19 et prope gemmanti rivus si murmuret unda,

20 quam tua nunc facies, tua vox, amplexus, et ora
 21 grata mihi, tu causa viae non ultima nostra es.
 22 Postquam Romuleos liquisti, perfide, colles
 23 candida lux nostras fulsit rarissima caulas.
 24 Crescebant, soli et tristi, noctesque diesque.
 25 Saepe mihi de te questa est deserta Camilla,
 26 saepe meas clamor miserae pervenit ad aures,
 27 cum te per saltus ingratum rauca vocaret.
 28 Saepe ego te stultum dixi, qui certa relinquens,
 29 Natalemque casam, pecudes et pascua laeta,
 30 spes quoque tam pronas, incerta ignota petisses.
 31 Ecce autem obduci densa ferrugine caelum
 32 incipit et pigris instare caloribus auster.
 33 Continuo miseranda lues invadit ovile,
 34 labitur infelix mihi grex, cui vellera tergo
 35 fulgebant. Vidi duris in cautibus illum
 36 exhalantem animam, atque exstinctis matribus haedos
 37 ubera ducentes. Hic terque quaterque vocavi,
 38 te fortunatum procul his qui cladibus esses.
 39 Quid quod Tyrrheno tardatus litore Tibris,
 40 per campos et prata furens, summisque minatus
 41 collibus ? Has clades, si pectus corque fuisset,
 42 veridicus vates monuit nos antecavere.
 43 Insatiabilium irrepsit mox turba luporum
 44 quos nec pastores infestis pellere telis,
 45 nec rabidos acres poterant arcere molossi
 46 quin rapere e nostris auderent ruribus haedos,
 47 nec deerant saevi scelerantes cuncta latrones.
 48 Hac ego jam tandem superatus mole malorum,
 49 fortunae adversae cessi, paucasque Menalcae,
 50 quas mihi tot casus reliquas fecere capellas,
 51 Donavi, atque hominum varios perdiscere mores,
 52 oppidaque, et positus statui spectare locorum,
 53 ut demum, unanimis, vitae quod restat, amice,
 54 exigerem tecum, quacumque in parte lateres.
 55 En te post magnos terrae pelagique labores
 56 convenio, quodcumque tuli jam dulce videtur.

AMMON

57 Ista mihi pridem cecinit praesaga mali mens
 58 et tibi, si memores, praedixi plurima, Lyca,
 59 cum tu forte pedum dextra, laevaue teneres
 60 subnixus mentum, veteris sub tegmine quercus,
 61 cumque meam quererer diverso flumine cymbam
 62 jactari, aut pigram stagnis haerere, nihilque
 63 iratis mihi sideribus succedere posse.
 64 Multos praeterea, contra, sine pectore, et omnis
 65 ignaros pecoris, Bacchi Venerisque ministros,
 66 et vaccis haedisque simul florere videbam,
 67 inque dies ovibus tenerisque augerier agnis,
 68 fortunaequae vices nunquam sentire malignas.

LYCAS

69 Istas saepe tuas memini me audire querelas.
 70 Sed quis sepositos tibi suasit adire Britannos ?
 71 Ede, rogo, et fidum cur me celaris amicum.

AMMON

72 Haec olim propter mecum stomachabar ad aram
 73 Pacis, ubi niveo candentia flore nitebant
 74 lilia, cum subito, mirum, vox perculit aures :

75 "Ammon, ad extremos, ne cessa, tende Britannos.
 76 Illic te deus aspiciet, caenoque levabit."
 77 Horridus obstipui ; tum mecum multa revolvens,
 78 constitui nulli divinam prodere vocem,
 79 quod nocuit multis, et ne si multa ferenda
 80 ante forent aut quam fines tetigisse Britannos,
 81 Numinis aut tanti possem meruisse favorem,
 82 de me jure comes quid cur quereretur haberet,
 83 solus iter capio. Supero montesque nivesque
 84 et mare traicio quod cingit ditia regna.
 85 Plana, ingens, fecunda mihi sese Albion offert.
 86 Ingredior dextris avibus, tum lumine lustro
 87 Oceanus quanta circumfluat undique fossa,
 88 quam varios aestus moveat quantisque natetur
 89 piscibus et quot velivolis sulcetur ab alnis.
 90 Pergenti porro occurrunt mihi pingua rura,
 91 ascensu faciles colles, et amoena vireta,
 92 quales depictas in templis cernimus oras.
 93 Illic quae armenta aspicio ! quam mitia ! quamque
 94 grandia ! et extentas crurum tenuis ubera vaccas !
 95 occurrunt et oves imitantes tenuia Serum
 96 vellere fila suo vel quod Pagaseius heros
 97 rettulit in patriam rapta cum Phaside quondam.
 98 Miror ut omne pecus, nullo custode, vagetur,
 99 lascivique procul vituli sine matribus errent,
 100 lunatisque agitent nascentia frontibus arma.
 101 Miror ut in pratis, nulloque docente magistro,
 102 sponte sua, bellator equus tam mollia crura
 103 ponat ut ad numerum credas incedere ductum.
 104 Non herbam hic nocuam, furesve luposve timeri
 105 audio, sed solum hoc magnum discrimen haberi,
 106 ne, si non pecudes a grato pellere pastu
 107 curent, dissiliant nimia pinguedine ruptae.
 108 Plurima praetereo, inclusis leporaria dammis
 109 plena, et fulmineo saltus non dente carentes,
 110 in quibus ipse die medio saltare Napaeas
 111 Silvanumque patrem vidi, Satyrosque bicornes.
 112 Horrentes variis hinc cerno frugibus agros,
 113 et loca, quae quondam fulvo fluxere metallo,
 114 nunc non argenti argentoque simillima plumbi
 115 pondera producunt, liventisque adice massas.
 116 Oppida cum subeo, quae bellis apta juventus
 117 offertur latos humeros et martia colla
 118 specto : Giganteo visa est de semine proles.
 119 Nec forma cedunt matres : formosus uterque
 120 sexus, hic uxori bene junctus, et illa marito.
 121 Templum deum viso. Divos ea sola decere
 122 censeo : perstringunt oculos radiantia gemmis
 123 signa, trabes aurum tecto jaculantur ab alto.
 124 Privatas contemplor opes : sic fervere cuncta
 125 divitiis cerno ut nec nostra mapalia facto
 126 argento careant. Haec, Lyca, est illa beata
 127 insula, ubi fessos fertur recreare jugales
 128 Cynthus, hesperias postquam descendit ad undas,
 129 conjuncto movet orbe rotas ubi lucida Phoebe.
 130 Hic semper blandi vernat clementia caeli,
 131 hic longus juveni vigor est, hic tarda senectus,
 132 et mors vix dubiis maturisque advenit annis.

LYCAS

133 O fortunatos, Ammon, quibus astra dedere
134 ad tam felices olim divertere campos !

AMMON

135 At mihi promissus cuncta haec miracula vincit
136 ille deus, sacer aspectu facieque verendus,
137 qui regit innata fortes gravitate Britannos.
138 Verum alios tantum reges supereminet omnes,
139 coniferae quantum superant arbusta cupressi.
140 Hic regnis, et prole potens opibusque beatus
141 ducit amicitiiis sibi nexum et sanguine mundum.
142 Huic par Nestoreo distillat nectar ab ore.
143 Quare fide Attilios aequat, probitate Catones,
144 religione Numam, Decios pietate, suamque
145 tam sibi devinxit patriam quam Codrus Athenas.
146 Cunctorum hic pater est, ulnas venientibus offert,
147 exceptosque fovet, nec qua tellure creati
148 sed meritum quaerit. Citius numerabis aristas
149 Aegypti, et verno niteant quot tempore flores,
150 quam quot hic ignotos humilique in sorte jacentes
151 erexit, fecitque homines, ornavit et auxit.
152 Aspice quam nulli liceat sine sanguine et aestu
153 ad summum eniti solium stabilique sedere.
154 Hic idem caelo genitus, cui semper adhaeret
155 Mavors, et totum quem Pallas gorgone velat,
156 exilium teneris et multa pericula ab annis
157 pertulit, inde ferum calcavit Marte tyrannum.
158 Mox cum jam sedem regnumque teneret avitum,
159 mentitos vicit partus, ludumqueprehendit
160 fortunae mortique dedit bellumque peregit
161 infami laqueo. Nec agrestis Hibernia cessat,
162 sed subitis turmis, et nudo Marte lacessit
163 verum ovium in morem caesae cecidere catervae.
164 Incolit hic regni partem gens aspera bello
165 a cornu cognomen habens. Haec omnis in arma
166 consurgit, regemque petit, quem tendere contra
167 ut tunc aspexit, subito disjecta fugatur,
168 non secus ac volucres aquila veniente minores.

LYCAS

169 Haud facile emergunt, quae duratura creantur
170 et pulchro cuicumque operi natura laborem
171 apposuit. Quid enim non pastor Romulus olim
172 ante tulit, flavam ad Tusci quam Tibridis undam
173 Moenia fundaret mundo impositura catenas ?

AMMON

174 Parta deo hic nostro pax est, clavoque trabali
175 instabilis fixus fortunae lubricus orbis.
176 Inde animum adjecit mores formare suorum,
177 tutari leges primas, punire nocentes,
178 protegere ac ornare bonos, componere lites,
179 seque per innumeros longum renovare nepotes,
180 et nata jam factus avus, quam Scotus amore
181 conjunctam parili reginam amplectitur heros,
182 hinc quoque conubio natum conjunxit Hiberio.
183 Indole, proh, quanta juvenem, qui nomine patrem
184 nec minus ore refert, referet mox fortia facta.
185 Divina est juvenis species, prudentia cana,
186 nil mortale sonat, deus est occultus in illo.

187 Restabant Mariae minimae sponsalia natu,
 188 lactea quae nimium, tedae nondum apta jugali,
 189 associata pari thalamo est, teneroque tenella
 190 uxor juncta viro, quo non generosior alter,
 191 pluraque nec cujus dextrae se sceptras reservent,
 192 utraque servitium cui primum Hispania debet,
 193 et torto celebris tellus Balearica plumbo
 194 Sardoique maris litus Campanaque regna,
 195 Aetnaeaeque domus Cereris fecunda Triquetris
 196 et Veneri praelata Papho Flandrentia rura,
 197 Australisque assueta jugo Germania avito,
 198 Hunnorumque truces populi, quos Paeanas olim
 199 dixerunt, nostro et demum pars maxima mundi.
 LYCAS
 200 Felix conjugium, similes utrique parentes,
 201 ut narras, et par aetas, par forma, potenti
 202 juncta potens. Quid enim gigni nisi numen ab istis
 203 umquam seminibus poterit ? Sed dic, age, nomen
 204 istius, qui tot populis dominabitur unus.
 AMMON
 205 Carolus, ex illo deductum fulmine nomen,
 206 Gallorum quod fregit opes regemque coegit
 207 promere captivas voces. Burgundia vincit,
 208 sed patrem, heu mors, heu, mors immatura, Philippum
 209 eripuit primo succisum flore juventae.
 LYCAS
 210 Imminet egregiis cunctis haec illa rapina.
 AMMON
 211 Noster at ille deus genere praestabit utrumque,
 212 et soceri et patris munus, damnumque levabit
 213 sentiat ut nulla sibi raptum ex parte parentem.
 214 Hunc quoque tutatur vigilantem pectore et armis,
 215 undique Caesar avus, Romani maximus orbis
 216 rector, virtuti cujus si justa faveret
 217 fortuna, haud alii nomen praeclarius esset,
 218 quippe Antonini probitas, sapientia Marci,
 219 Trajani robur bellorumque usus in illo est,
 220 et fuit Augustus dextra non largior ullus.
 221 Quod si Roma frui tam sancto Caesare posset,
 222 septenos iterum colles florere videres.
 LYCAS
 223 Dum nimium optato fruimur sermone, relictum
 224 Phoebeo splendore tenent jam sidera caelum.
 AMMON
 225 Hospitium, video, fessus petis. Eia, age, nostrum,
 226 namque licet, numen submisso poplite adora.
 227 Agna deinde cadet pro salvo victima amico,
 228 proque hymenaeo, mox genio indulgebimus ambo.
 229 Salve prudentum, rex prudentissime, regum,
 230 qui vincis probitate bonos, opibusque potentes,
 231 in quo praesidium virtus sibi cauta locavit.
 LYCAS
 232 Sic validus Pylis videas tria saecula regis
 233 longaque sic superes Cumaeae tempora vatis.
 234 Sic dii praevengiant faciles tua vota, tuaeque
 235 perfida sic stringant Turcarum colla catenae.
 236 Sicque recepta sacro Solymorum terra sepulchro
 237 atque salutiferi plaudant tibi signa cruoris.

238 Aspice nos, servosque tuos nos esse memento.

ELEGIA DE OBITU REGIS HENRICI VII ET FELICI SUCCESSIONE HENRICI OCTAVI

A3 v.1 Nunc, nunc flebilibus caelum clamoribus imple,
 2 maerentesque genas nunc, elegia, seca.
 3 Nunc teneras complode manus, nunc velle capillos,
 4 tristia nunc largis fletibus ora riga.
 5 Par fuit haud alias unquam tibi causa dolendi
 6 causaque non lacrimas justior ulla dedit.
 7 Occidit Henricus, regni qui septimus Angli
 8 hoc rexit valida nomine sceptrata manu.
 9 Occidit Henricus magnorum gloria regum
 10 et jubar et splendor praecipuumque decus.
 11 Occidit Henricus, pepulit qui nubila caelo,
 12 aspexit laeta sicubi fronte Jovem,
 13 vivida cui miti radiabant lumina flamma
 14 jucundusque inerat, si tuerere, timor,
 15 inque omni gravitas et summa modestia motu,
 16 majestas vero quae solet esse deis.
 17 Hei mihi tunc moritur, cum armis opibusque pararet
 18 sub juga Turcarum mittere perfidiam !
 19 Humanis inimica bonis, o invida fata,
 20 hoc saltem vobis debuit esse nefas.
 21 Deses cur potius plebes et inutile vulgus
 22 non sensit vestra vulnera facta manu ?
 23 Scilicet invictum ne nos possemus ab omni,
 24 si vos vicisset, parte vocare virum.
 25 Sed nihil egistis, vivet post rupta, superstes,
 26 stamina, et illius gloria major erit.
 27 Illius ingenium, et rerum prudentia vivet,
 28 vivent illius dulcis et oris opes,
 29 ingentes vivent animi, et quae gessit in armis,
 30 quam parvi innumeros vicerit ille manu,
 31 ut sibi conexum, quo vellet, duceret orbem
 32 utque vereretur terra fretumque virum.
 33 Haec quoque fac pereant, non vera, Henrice, peribit
 34 nomine te referens natus, imago tua
 35 in nato vivens, celso spectabis Olympo
 36 scandat perpetuus sanguis ut astra tuus.
 37 Hic plebem proceresque sibi juvenesque senesque
 38 vinciet, humani delictum generis,
 39 externi hunc metuent reges, venerabitur orbis,
 40 mortali credens veste latere deum.
 41 Quae regio est aut quam vastus perlabitur Indus
 42 aut Tartessiaci litoris unda quatit
 43 quaeve sub ardenti squallens male culta leone
 44 quaeve trucis boreae flatibus ora rigens,
 45 hunc quae non cupiat dominum, cui libera colla
 46 festinet grato subdere sponte iugo ?
 47 Indole quae tali pepererunt saecula regem ?
 48 Tot constans numeris quis, rogo, vidit opus ?
 49 Pectora felle carent, studiis imbuta Minervae,
 50 quis vacat ut Marti tempora justa dedit.
 51 Sic animum corpusque colit, sic praestat utrumque
 52 ut natum studiis omnibus esse putes.
 53 Bistoniam digitis cytharam fac pulset eburnis

54 semideumque canat fortia facta patrum
 55 aut animi interdum causa admoduletur amore.
 56 Pelide nato praeferet ipsa Thetis.
 57 Tendat Ithiraeos arcus credetur Apollo,
 58 namque manus Phoebi pectus et ora gerit.
 59 Sternacem si frangat equum, jam Castora Lede
 60 spernet et huic mallet Jupiter esse pater.
 61 Si, Venus, hunc spectes, oblivisceris Adonin,
 62 Endymionque tibi, Cynthia, turpis erit.
 63 Ignea quae juvenis species ! Subnigra flagellat
 64 crispaeque pauxillum lactea colla coma ;
 65 unde supercilii frons regia pingitur arcu,
 66 lumina sidereo clarius igne micant,
 67 candentes rutilas suffundit purpura malas,
 68 et decorant nares ora verenda bonae ;
 69 unio pro nivei dentis stat plurimus orbe
 70 et patrias vincunt aemula labra rosas.
 71 Assurgunt humeri torulis et robore pectus,
 72 mavorti puero quale fuisse reor.
 73 Brachia conectunt teretes tum longa lacertos,
 74 hi roseos digitos marmoreasque manus ;
 75 cruraque contractis surgunt exilia suris
 76 lataque subductus non loca venter habet.
 77 Denique proceri nulla est in corpore menda
 78 et nihil est quod quis pulchrius esse velit.
 79 At cum tot dotes animi, tot corporis una
 80 convenient, vires, forma, juvena, calor
 81 cum quicquid libeat liceat, constringit habenas
 82 permittitque aliis, quod negat ipse sibi,
 83 et nihil a populis poscit nisi pectus amicum
 84 datque operam patriae, vel puer, esse pater.
 85 Quare, age, jam sicca lacrimas, elegia, cadentes.
 86 Amissis longe plura relicta vides.
 87 Pro Henrico Henricum octavum pro septimo habemus
 88 et pro mortali numen adesse vides,
 89 nec fas rupta semel subnectere fila sororum
 90 nec leti iniqui frangere jura licet.
 91 Cernis ut expulso sumat jam gaudia luctu
 92 tellus, et laetus rideat omnis ager,
 93 neglectasque diu terras Astraea revisat,
 94 et profugas artes cogat abire malas.
 95 Cernis ut incipiant fluvii candescere lacte,
 96 arboribusque fluant roscida mella cavis.
 97 aurea, si nescis, rediens Octavius orbi
 98 saecula restituit. Fausta precemur ero :
 99 Octavius Pylios Henricus vivat ad annos
 100 et cumulum superet, cana Sibylla, tuum.
 101 Sit melior Nerva, Augusto felicius ipso,
 102 robore Trajanum praestet et imperio.
 103 Quicquid agat summus fortunet Jupiter, albas
 104 Puniceasque colat Phoebus uterque rosas.

EPITHALAMIUM IN NUPTIIS REGIS HENRICI OCTAVI ET REGINAE CATHARINAE

A4 v.1 Immensi arbiter aetheris,
 2 divorum atque hominum parens,
 3 alma et tu volucrum Venus

4 mater casta Cupidinum,
5 tuque, Hymen, ades et faces
6 huc, huc legitimas feras.
7 Huc pulchrae rosea manu
8 tollant flammea Gratiae.
9 Nostrae laetitiae polum
10 et quicumque habitant vacent.
11 Juno mulceat aera
12 veris tempora proferens.
13 Ventos comprime ceteros
14 antris, Hippotade, tuis,
15 solum emitte Favonium
16 qui spargat genitales
17 omnis divitis Angliae
18 tractus nectare proprio,
19 quo fecundet humum ac levi
20 semper flamine murmuret,
21 et perfundat odoribus
22 late suavibus omnia,
23 ut Panchaia divite
24 quamquam se efferat arbore
25 nidusque alitis unicae
26 Anglis invideat plagis.
27 Nullus non hilaris locus
28 laeto gramine pubeat
29 nullus non ager induat
30 albam et purpuream rosam,
31 omnis vallis et arduus
32 clivus, planities, nemus,
33 saltus et leporaria
34 plaudant et faveant ero.
35 Fontes, flumina, rivuli
36 blandis luxurient aquis,
37 primus sed Tamesis pater
38 ulvam crinibus auferat
39 rubris et niveis caput
40 incingat vitreum rosis,
41 ac urnam refluam premens
42 largo flumine profluat
43 crispo gurgite lacteis
44 et colludat oloribus
45 saltanti ad numerum gradu.
46 Huc, huc, currite Tethyos
47 Nymphae progenies vagae.
48 Castae ludite virgines,
49 intonsi et pueri simul,
50 vos vestris etiam novae
51 nuptae ludite cum viris,
52 et Lucina quibus fuit
53 praesto parturientibus,
54 incurvos juveniliter
55 saltare haud pudeat senes.
56 Alba et punicea rosa
57 sed cunctis niteant comae.
58 Non sit laetitiae modus,
59 nullum non canat organum,
60 partes vindicet et suas
61 Fescennina procacitas,

62 Henricus juvenum decus,
 63 idem gloria principum,
 64 ducit regis Hiberiae
 65 praeclaraeque viraginis
 66 natam et praecipuam jubar.
 67 Quare candida vellera
 68 ducant lanificae aurea
 69 Germanae propere colo.
 70 Faustum dum reliquae neunt
 71 hoc fatum Lachesis canit
 72 Phoebi lampade pulchrior :
 73 "Henricus facile omnium
 74 regum maximus optimus
 75 cum consorte tori, tria
 76 vivet saecula Nestorea,
 77 verum non senii mala
 78 non incommoda sentient,
 79 aetatis validae bonis
 80 hos semper volumus frui.
 81 Lux his proxima quaeque erit
 82 praecedente beatior.
 83 Vix prae laetitia tui
 84 compos ludere parvulos
 85 Henricos aliquot cito
 86 cernes aula Britannica.
 87 Tunc heros statuet feros
 88 Turcas sub juga mittere,
 89 et dicam ut semel omnia,
 90 magnis tunc, video, sacris
 91 sudor vatibus imminet.
 92 His quae nunc canimus sequens
 93 aetas adstipulabitur."

AD DOMINUM RICHARDUM EPISCOPUM VINTONIENSEM

A5 v.1 Ledaeos olim fratres per vota vocabant
 2 aequoris et caeli cum timere minas,
 3 et nunc cum surgit tempestas navita Erasmm
 4 invocat, hunc praefert omnibus ille deis.
 5 Ad te ego confugio, praesul, dignissime sacrum
 6 cui pridem cingat trina corona caput,
 7 per quem crudeles multi evasere procellas,
 8 aequora tu nostrae mitia sterne rati,
 9 saevis jactatam ventis tu dirige cymbam,
 10 in summo velo prospera flamma mica.
 11 Hujus me vestri ubertas et maxima rerum
 12 copia cunctarum famaue multa soli,
 13 regis et in primis commovit plurima virtus
 14 desererem ut patriae moenia cara meae
 15 desererem ut magnae jucunda palatia Romae
 16 nec paucis annis parta sodalitia
 17 ut magnum metirer iter, vicinaque caelo
 18 transirem Scythica saxa adoperta nive,
 19 traicerem oceanum, et cete insana viderem
 20 ructato nobis eripere imbre diem.
 21 Ne tunc haec temere dicas me adisse, fuere
 22 qui me promissis allicuere suis,

23 omnia quae venti cum spe per inane tulerunt
 24 inque istis inopem me statuere plagis.
 25 Quod tua ni bonitas, miserae pater optime turbae,
 26 spem mihi praeberet, vita molesta foret.
 27 Tu facis ut ventos ausim sperare secundos,
 28 prendere et ut portum me quoque posse putem.
 29 Nam quid ego a tali non sperem praesule ? Cujus
 30 pectora religio cum pietate colit,
 31 quem sacrae tenerum formarunt Pallados artes,
 32 quis vacuum studiis non sinet ire diem.
 33 Quod raro invenias qui certus amicus amico est,
 34 promissam gaudet qui superare fidem,
 35 qui tot humo erexit mortales, quot neque longo
 36 connumerare die lingua diserta queat,
 37 qui sit apud regem summus, qui plurima possit
 38 sed prodesse velit plus tamen atque potest.
 39 Hanc quoque ne temnas, oro, pater optime, laudem
 40 meque tuo dignum duc, precor, auxilio.
 41 A te servatos inter me pone clientes ;
 42 si meritus non sum, laus tua major erit.
 43 Non ego magna peto, modo sint alimenta, benigne,
 44 et servus dicax regius esse sat est.

AD EUNDEM CONSOLATORIA

A6 v.1 Pontificum, Ricarde, decus, tutela bonorum,
 2 et dum vita fuit maxima cura mihi,
 3 haec tuus Elysiis mittit Grastocus ab oris
 4 quae, rogo, deposita perlege maestitia.
 5 "Ex istis postquam discessi faecibus orbis
 6 invitatusque tuum deserui obsequium
 7 corporis exutus spoliis et mole caduca
 8 actutum campos ducor ad Elysios,
 9 sic loca nunc dicunt, ubi parva piacula, mitti
 10 post paulo in caelum qui meruere, luunt.
 11 Hic mihi purgato non est mora longa futura,
 12 ascendam summi templa beata Jovis.
 13 Haec me felicem vel nunc spes maxima reddit
 14 oraue auctoris spero videre mei.
 15 Ergo, pater, laetare, precor, grateris alumno.
 16 Hac fuit optandum morte obiisse mihi
 17 quae me nec longis torsit cruciatibus aegrum,
 18 nec subito arreptum mi secuit jugulum,
 19 sed mitis largis solvit sudoribus artus,
 20 meque per humoris jussit abire vias.
 21 Et venit cum nondum longae taedia vitae
 22 nec mala morborum pertuleram senii
 23 cum nondum tua cura, pater, tenerique sinebant
 24 anni me vitiis praecipitare caput,
 25 luctando, fateor, corpus juvenile reliqui,
 26 non tamen illa velim nunc ego vincla pati
 27 in quibus assidue torquebant gaudia luctus,
 28 spes, timor, humani carnifices animi
 29 sescentaeque aliae, quas nunc dijudico pestes,
 30 cernoque quam miserae conditionis eram.
 31 Nec secus ac rector qui longa per aequora vectus
 32 propositum parvo tempore fecit iter,

33 gaudeo jam fragili incolumem superasse carina
 34 tot maria, et portum me tenuisse brevi.
 35 Si quem igitur cepit pietas tua, pone dolorem
 36 et noli fato tristior esse meo.
 37 Non alia poteram fieri ratione beatus,
 38 in caelum sola janua morte patet.
 39 At tu qui regi et regno percommodus isti es,
 40 vivere quae poteram tempora, vive, pater,
 41 vive, pater, longumque vale mundique precare
 42 artificem ut superis me cito consociet."

DE EODEM

A7 v.1 Huc Indi, huc Daces, huc gentes accedite cunctae,
 2 Christum Deum quae creditis.
 3 Omnibus exactum numeris monstrare verendum
 4 vobis episcopum queo.
 5 Hic est quem, dives pecorum et fecunda virorum,
 6 Britanna tellus protulit,
 7 Vintoniae praesul Ricardus, cultor honesti,
 8 virtutis exemplar novum,
 9 summa fides, labor infractus, prudentia rerum
 10 quem vexit amplos ad gradus.
 11 Cujus si faciem spectes, gravitas ea fronti
 12 integritas modusque inest,
 13 vel denis mixtum nosces in millibus unum
 14 hunc omnium sanctissimum.
 15 Quem si divinis videas incumbere, dices
 16 humana prorsus temnere.
 17 Astat mane, sacris operatur et ipse diurnis
 18 et multa pensis adjicit.
 19 Et licet a proprio disjungant publica ovili
 20 gregem suum non negligit,
 21 in sua namque jacet vigilantia lumina membra
 22 aegrotet et ne quid cavet.
 23 Cernit oves si errare suas, in saepta reducit
 24 lupus voret ne callidus.
 25 Et pater hospitio cunctis largitur egenis,
 26 humoque lapsos erigit.
 27 Consilio rebusque juvat quemcumque fatigant
 28 erae impotentis fulmina.
 29 Audit praeterea causas litesque suorum
 30 pius sed ut natos parens.
 31 Aras, templa, sacella, domos, praetoria, villas
 32 exornat, instaurat, facit.
 33 Hunc rursus humanis videas si incumbere, dices
 34 divina prorsus temnere,
 35 sic ipsum assiduum utilitas communis in aula
 36 totos habet ferme dies.
 37 Lis oritur cives inter si magna potentes,
 38 regisve adest negotium
 39 de bello seu pace agitur, seu foedere, seu quis
 40 legatus advenit recens,
 41 sive quid emergit parvum ut lubet atque minutum,
 42 dum publicae intersit rei,
 43 aulae custodes hunc primum et curia cernunt ;
 44 amor jubet sic patriae.

45 Si in terram quamvis densus ruat aethere nimbus
 46 amnesque concrecant gelu
 47 sibilet et stridens Boreas cana tempora circum
 48 agrosve Sirius coquat
 49 ne dubita ad patriae venturum in tempore curas,
 50 praefert saluti quas suae.
 51 Abstrusas quidam didicerunt prodere causas
 52 naturam ut autumes loqui,
 53 quid deceat quid non, num discrepet utile honesto,
 54 scrutantur et quidam Deum,
 55 perplexarum alii solvunt aenigmata legum
 56 Papiniano doctius.
 57 Nil ultra norunt ad agenda negotia, bardi
 58 rudes, inepti, et bubali,
 59 noster at hic ita disciplina expertus in omni est
 60 ut nescias praestet magis
 61 doctrina an rerum usu an juxta excellat utroque,
 62 quod ipse verius puto.
 63 Districtusque licet sit tantis undique curis
 64 clientibus non dest suis,
 65 sed quos est semel amplexus non deserit umquam
 66 nec esse in abjecto sinit,
 67 partiturque aliis sibi quam sudore paravit
 68 auctoritatem et gratiam,
 69 partiturque etiam quicquid fortuna benigna
 70 indulisit illi dextera.
 71 Blandiri et vero me dicere plura putatis,
 72 at portio veri haec quota est ?
 73 Tantaque sunt hominis merita, ut quae non sine palpo
 74 de ceteris dici nequeunt
 75 hujus non possint benefacta aequare, sed illis
 76 est summa quaevis laus minor.
 77 Pontificem ostendi vobis, vos nosse potestis,
 78 sed quatenus licet deos.

AD REVERENDUM. D. THOMAM RUTHALLUM A REGIIS SECRETIS, MODO EPISCOPUM DUNELMENSEM

A8 v.1 Thoma, delictum soli Britanni,
 2 sic rex maximus optimusque regum
 3 Henricus magis in dies benignus
 4 secretum tibi pectoris recludat,
 5 sic quos mente colis bona piaque
 6 donent te Pylia dei senecta
 7 votorum et faciant reum tuorum,
 8 me turbae annumera tuae clientem
 9 et Croeso facies beatiorem.
 10 Has nam divitias puto supinas
 11 tanti praesidio tegi patroni
 12 cui largi bona di dedere cuncta,
 13 quorum particulam brevem referre
 14 ut morem hunc animo geram vel ipso
 15 adversante tuo sinas pudore.
 16 Est primum facies tibi serena,
 17 ridentes oculi, color virilis,
 18 vivax strenuitas, impigerque motus,
 19 sollers ingenium, quod alta quaeque
 20 actutum peragit labore nullo,

21 nativi eloquii benigna vena,
 22 acris iudicii sagax acumen
 23 et mentis memor illa vis tenacis,
 24 qua leges populi potentis olim
 25 et decreta patrum tenes sacrorum
 26 sed tamquam articulos tuos et ungues.
 27 Vatem Threicium ferunt poetae
 28 mellitis citharae modis canorae
 29 instantes olidis lupos capellis
 30 immoto solitum tenere rictu,
 31 amnes sistere, commovere saxa
 32 et deducere montibus cupressos.
 33 At tu si organa subsequente voce
 34 tangis, non lapides ferasve solum,
 35 aures attonitas potente plectro
 36 ipsas sed potes Orphei tenere.
 37 Nec, quod non solet evenire multis,
 38 hae dotes opibus carent beatis.
 39 Nam lassant oculos tui supellex
 40 ornatusque abaci, polita fabre
 41 et docte omnia vasa, cedit arti
 42 dives materia. Inde si reflecto
 43 cervicem, inspicio novos tapetes,
 44 aulaea Attalicis superbiora,
 45 Tusci serica pectinis labores.
 46 Cultus denique regius, quod ille
 47 vero verius esse non negabit
 48 aedes qui subiit tuas forenses
 49 cum rex hospitio est tuo receptus.
 50 Sed ne sit nimium tuis severis
 51 hic sermo magis auribus molestus
 52 prudens nunc alias opes relinquo
 53 quis tu non timide uteris, sed illis
 54 jucunde fruere, ipsas servire
 55 vis, non ut dominas tibi jubere.
 56 Nec si di meritos dedere honores,
 57 idcirco tumidus magis superbis,
 58 immo humanior in dies haberis.
 59 Causis num levibus peto tuorum
 60 ascribi numero et gregi clientum ?

AD EUNDEM

A9 v.1 Thoma, praesidium meum, denique
 2 his Jani patris omnium calendis
 3 hinc illinc tibi dona congeruntur :
 4 hic dat Phasidos impiae volucres,
 5 perdices, merulas, grues, at ille
 6 ingentes fluvii marisve praedas ;
 7 Hispanas alii ferunt olivas,
 8 ficus, citrea, saccharique metas,
 9 implent ast alii cados Lyaeo
 10 Creta aut quod tulit aureis racemis,
 11 aut quod Callaicae tulere vites,
 12 aut quod Gallica prela reddidere.
 13 Dat pictos alius cliens tapetes,
 14 princeps aurea vasa, vel smaragdos,

15 verum quid tuus Andreas, Ruthalle,
 16 ex his mi nihil est, dabit, nisi illas
 17 quas nosti illepidas ames Camenas ?
 18 Has ergo tibi, se simulque donat.
 19 Se ipso dat pretiosiora nemo.

HYMNUS AD DOMINUM HENRICUM VI

A10 v.1 Sancte, qui auxisti numerum deorum
 2 nuper, Henrice, ad sacra templa magni
 3 quam Jovis duxti memorare pulchram
 4 da mihi pompen.
 5 Maximus vasti moderator orbis
 6 huic diem laetum statuit triumpho.
 7 Justus Henricus meritum pararet
 8 scandere currum.
 9 Astra se magna Thetide abluerunt
 10 aether ut flammis liquidis micaret,
 11 gratius Titan solito refulsit
 12 pulchraque Phoebe.
 13 Multus hinc illinc erat apparatus
 14 qua triumphalis rota permeabat,
 15 nectare et totus redolebat aer
 16 ambrosiaque.
 17 Praeferebantur laquei, dolique
 18 quolibet ferro arma nocentiora
 19 tum id genus multae exuviae et trophaea
 20 ordine longo.
 21 Inde praeduro superata bello
 22 turba successit, subiere maesti
 23 mox duces multi, validis revincti
 24 funibus armos.
 25 Ibat et primus gravium imperator
 26 criminum Fastus tumido ac protervo
 27 pectore et gressu nihil huc catena
 28 sortequae motus.
 29 Junctus huic livor comes ibat ore
 30 pallido, limis oculis, gravique
 31 Spiritu dirum jaciens venenum
 32 seque perurens.
 33 Postea praeceps properabat Ira
 34 fronte rugata, tremulis labellis
 35 sparserant cujus furiae tremenda
 36 lumina flamma.
 37 Ibat et fulvi sacer Ardor auri
 38 sordido vultu, digitis aduncis,
 39 in viis fixos oculum reflectens
 40 semper ad asses.
 41 Tum gula ardenti titubans Lyaeo
 42 tota et hircosa et pedicosa et uncta
 43 aegra vix foeda sanie morante
 44 crura trahebat.
 45 Ultimo dirum lutulentus agmen
 46 Torpor urgebat graviter subinde
 47 oscitans nares nisi cum culinae
 48 nidor adibat.
 49 Ecce sublimi residens in axe

50 ipse mox heros radiabat ostro,
51 clara fulgebant redimita Eois
52 tempora gemmis.
53 Caritas grato rutilans pyropo
54 et Fides Indo nivea unione
55 Spes et arctoo viridis smaragdo
56 Plaustra trahebant,
57 Virgo quam justae decorant Bilances
58 quaeque nil frangit, subigitve quicquam
59 quaeque divino procul affutura
60 pectore cernit
61 et modum rebus quae adhibet gerendis
62 curru collum hae quoque subdidere,
63 deinde virtutum comitatus omnis
64 agmine magno.
65 Fusus et circum chorus angelorum
66 interim dulci geminabat ore :
67 "Christe io caelum, bone, qui probatis
68 civibus imples,
69 justus hic justo datus est triumphus
70 qui feros motus animi subegit
71 qui voluptates pedibus potenter
72 stravit amaras.
73 Purpura Henricum gremio cadentem
74 matris exceptit, teneraque dextra
75 Gallicum sceptrum tulit et Britannum
76 bimulus infans.
77 Sedit in patris solio puellus
78 nec tamen solvit vitiis habenas
79 fervidam vasto impete quae juventam
80 aggrediuntur.
81 Sobrius posto abstinuit Falerno,
82 regias spernens epulas, secundo
83 pane jejuni imperiosa abegit
84 murmura ventris.
85 Prompta cum Cypris foret undecumque
86 usus est casto thalamo suoque,
87 liberos tantum sobolemque dulcem
88 gratia habendi.
89 Mitis offensas tulit et remisit,
90 neminem irato gladio petivit.
91 Id sibi demum voluit licere
92 quod decuisset.
93 Jam pius, comis, facilisque cunctis
94 orphanos fovit, viduas levavit
95 pavit et turmas inopum benigni
96 more parentis.
97 Fecit hoc illi diadema carum
98 usui multis poterat quod esse
99 quodque tutari innocuum a nocentis
100 fraude valebat.
101 Ipse contentus modico nec assis
102 sceptra terrarum faciebat orbis
103 sed Deum semper meditans superna
104 regna inhiabat.
105 Non tamen caelum tenuit priusquam
106 ignibus coctum Altitonans probasset
107 an foret purum sine labe et ullis

108 faecibus aurum.
109 Perdidit regnum, cecidit ferocis
110 in manum hostis, fuit et superbi
111 pompa victoris, fuit in maligno
112 carceris antro,
113 donec ad caedem genitus satelles
114 gurges humanum sitiens cruorem
115 sacra crudeli sceleratus hausit
116 pectora ferro.
117 Vicinit has Christi patiendo fortis
118 miles aerumnas superumque regi
119 gratias egit, tulerat quod omnes
120 fortiter aestus.
121 Quare ei sedem tribuit beatam
122 cuncta qui large benefacta pensat
123 et dedit regnum nequeat quod hora
124 eripere aut vis.
125 Et dedit caecis revocare lumen
126 et dedit morbos varios fugare
127 et dedit satis animare functa
128 corpora rursus."
129 Ista dum sancti volucres canebant
130 gemmeum summi ad solium tonantis
131 venit Henricus posuitque cinctam
132 fronte coronam,
133 et Deo longa est prece gratulatus.
134 At Deus contra reducem, peractis
135 strenue rebus, patrio recepit
136 pectore natum.
137 Supplices ergo juvenes, senesque
138 omnis Henricum populus precemur :
139 da tuis pacem et solidam Britannis,
140 sancte, quietem,
141 aut in hunc usum moveantur arma
142 ut suos nostris fateantur arcus
143 impares Turcae, et fugitiva cedat
144 turba Canopo.
145 Fac malis nos illecebris linitos
146 callidi Ditis laqueos cavere,
147 fac humum nos spernere, fac in altum
148 tollere mentem.
149 Exige hinc pestis rapidae venenum,
150 pelle sudorem subito necantem,
151 semper hoc caelum Zephyro et salubri
152 rideat aura.
153 Larga sit nobis pecorique tellus,
154 crescat in primis bona sed juvenus,
155 sancte, dum membris validis fruamur
156 menteque sana.
157 Principem nostrum unanimumque serva
158 conjugem, ut, cum Mathusalem senectam
159 vixerint, sero repetant beati
160 gaudia caeli.
161 Annuat nobis pater atque natus
162 quique procedens ab utroque magni
163 Spiritus sese Paraclitus orbis
164 corpore miscet.

ARGUMENTUM DE REGIO EQUO CANICIDA APPELLATO

A11 v.1 Hospes, cernis equum placidis qui ludit habenis ?
 2 Innumeros stravit calce vel ore canes,
 3 quorum ubi latratu petitur, consurgit in iras,
 4 et Lybicae attollit colla jubasque ferae.
 5 Tum ruit huc illuc versans spargensque molossos,
 6 ipsas ut superet nobilitate leas.
 7 Infelix canis est hujus qui a dente tenetur,
 8 mitius infesti fulmen haberet apri.
 9 Actaeon in equum foret hunc si versus ab ira
 10 Dictynnae, canibus non foret esca suis.
 11 At nunc tam placidus ? Mores a principe sumit,
 12 cui mite ingenium, sed stimulare cave.

IN QUENDAM

A12 v.1 Britanni proceres, videtis illum
 2 incurvis humeris, tumente ocello,
 3 multo qui gravidus madet lyaeo,
 4 qui nares habet Atticae volucris,
 5 refert qui faciem trucis molossi,
 6 cui tres vix superant utrimque [viril]
 7 atque idem croceo luto referti.
 8 "Bastazon" Italas valens per urbes,
 9 portavit modo cursitans ad assem
 10 solus pondera non decem ferenda.
 11 Mox, cum deficeret virens juventa,
 12 intactum quid enim impudens relinquit ?
 13 Totam contemeravit Hippocrenem,
 14 legit rhetoricos "Topous" profanus,
 15 invasit quoque principis tabellas,
 16 verum non tamen hunc labore multo
 17 quivis rex potuit docere lustris.
 18 Hunc ipsum, moneo, cavete nequam.
 19 Fallit, pejerat, involat, rapitque,
 20 nullum non scelus hic patraret auro,
 21 allatrat pariter bonos malosque,
 22 ipsum dilacerat subinde regem.
 23 Britanni, moneo, cavete pestem.

AD GRIPHUM

A13 v.1 Quid de Britannis, docte Griphe, sentiam
 2 quaeris ? Leones mansuetos arbitror.
 3 Quos si benigne vellices ponunt juba,
 4 manumque lambunt et jubenti obtemperant.
 5 Verum minaci si flagello provoces,
 6 antiqua flammam sanguinem ferocia,
 7 non tela, non tormenta quae laedant vident,
 8 sed perciti ira caeci in illa proruunt.
 9 Verum quod esse non negabit Francia.

AD ABBATEM FESCANUM GALLORUM ORATOREM

A14 v.1 Qui Gallos Anglosque inter crudele canebas
 2 bellum, num belli tristia signa vides ?
 3 Legatos mittit Francus quos excipit Anglus
 4 ut fratrem frater, quem pia vincla tenent.
 5 Talia tum celebrat convivia qualia Perses
 6 Assuerus, Lagi seu Cleopatra pudor.
 7 Demens, quo tendat Fescanus, bella futura
 8 speras ? Qui si adeat, Tartara pax aderit.

AD REVERENDUM PATREM RICHARDUM VINTONIENSEM EPISCOPUM

A15 v.1 Mos olim patribus fuit,
 2 regnabat bona cum fides,
 3 Phoebi quo renovat die
 4 Janus perpetuam orbitam
 5 optandi a superis sibi
 6 quod quisque expeteret magis.
 7 Hinc quemdam memorant rei
 8 qui iratus fuerat suae
 9 optasse a Jove murmure
 10 claro, voceque aenea
 11 centum millia debiti
 12 et belle, decies quia
 13 centum milia debuit.
 14 Hunc morem veterem probans,
 15 annis servo ego plurimis,
 16 non quod caelicolas putem,
 17 illo praecipue die
 18 aures arrigere ad preces,
 19 verum quod venerarier
 20 cunctis principiis Deos
 21 sit par, atque precarier
 22 ut felicia sub manum
 23 cedant nostra negotia.
 24 Dum ergo hoc principio novi
 25 anni quaero quid expetam
 26 sane nil aliud subit,
 27 quam te, mi domine ac pater,
 28 certum praesidium meum,
 29 et vivum, et validum diu.
 30 Ultra vix potis est tibi,
 31 large cetera sic dedit,
 32 quicumque Iupiter addere.
 33 Mi vero satis et super
 34 te vivo arbitror adfore.
 35 Quare te, omniparens, precor,
 36 picti conditor aetheris,
 37 qui certa vice temporum,
 38 aevi praecipitem fugam
 39 jussisti tacite rapi :
 40 da tot Vintoniae pio
 41 nosti quem bene praesuli,
 42 Janos cernere candidos,
 43 quot regi Pylis dies,
 44 in meta quot arenulae

45 Cumaeae fuerant anus,
 46 quot ver floribus enitet,
 47 quot pisces mare ponticum,
 48 quot caelum volucres capit.
 49 Sed sit viribus integer,
 50 robustus, viridis, valens.
 51 Hoc omnes precibus boni,
 52 hoc rex, et proceres simul,
 53 Hoc omnis petit Anglia,
 54 justis, optime maxime,
 55 votis, annue, Jupiter.

AD D. ALOYSIUM MARLIANUM DE EIUS "ADVERSUS FORTUNAM" LIBELLO

A16 v.1 "Terrarum dea, cui fuere plura
 2 in septem geminis jugis Quirini,
 3 quam ulli caelicolum dicata templa,
 4 dic cur squalida, nuda, maesta, sola,
 5 et contempta jaces ? Ubi rota illa
 6 et talaria regibus verenda ? "
 7 "Singultu impediior loqui et pudore.
 8 Vicit me miseram ille Marlianus,
 9 nec vicisse satis ferus putavit
 10 ni, ni me laceram, et pudendam adusque
 11 discissa interula omnibus notandam
 12 spectandamque probe, ut vides, dedisset."
 13 "At quisnam, rogo, Marlianus ? " "Arte
 14 Phoebi qui medica nepos habetur,
 15 natura egregie peritus ille,
 16 caeli qui numeros, et astra callet,
 17 omnes qui historias refert, et orbis
 18 incunabula fabricamque novit,
 19 rhetor quem latet et poeta nullus
 20 immo quem nihil asserunt latere."
 21 "Qui mirum te igitur fuisse victam ?
 22 Res cum semideo fuit, quod oris
 23 majestas, gravitas, decora membra et
 24 procerum est potis indicare corpus.
 25 At scis (ni hoc quoque vindicare quaeris)
 26 juris te nihil in deos habere."

AD COLETUM THEOLOGUM ET CONCIONATOREM EGREGIUM DE SCHOLA QUAM PUERIS CONSTRUIT

A17 v.1 Ferventes toleras, Colete, soles
 2 in Christi bene vinea laborans,
 3 nunc multo subigis solum ligone,
 4 nunc sartor silicem improbam revellis,
 5 et certas sterili subinde messi
 6 vites nunc vetulo libro resolvis,
 7 silvae luxuriamque palmitesque
 8 nunc ferro aggrederis nimis vagantes,
 9 curam sed modo vitibus novellis,
 10 et nervos adhibes potenter omnes,
 11 ac praestas operarium valentem.
 12 Faustae restate, plantulae, et Coleto
 13 praegrandes date protinus racemos

14 ardens fluat undique hac et illac
15 Christi spumeus ut lacus Falerno.

INVITAT PUEROS AD SUPRADICTAM SCHOLAM IN QUA CHRISTI PUERI DOCENTIS IMAGO LOCATA EST

A18 v.1 Christus te, puer, ad suum
2 ludum ut formet et instruat
3 appellat. Propera, puer.
4 Non est cur timeas senis
5 praeceptoris ineptias,
6 non est cur timeas gravem
7 frontis tristitiam et minas.
8 Nam pulcherrimus est puer
9 et mitissimus omnium
10 et doctissimus omnium,
11 brutae delictum plagae,
12 summi delictum aetheris,
13 et contendit amarier.
14 O tali ter et amplius
15 praeceptore beatule !
16 Ne cessa, propera, puer.
17 Si veram sapientiam,
18 si metron cupis aureum,
19 seu post fata novissima,
20 cum natura parens usum
21 abs te depositum exiget,
22 Phoebeam super orbitam,
23 stellantem super et globum
24 cunctis vivere saeculis,
25 sive haec expetis insimul
26 ad Christi propera scholam.

DE LUDIS REGIIS

A19 v.1 Juppiter Henrici despexit ab aethere ludos,
2 excitus plausu clangisonisque tubis.
3 Vidit ut armorum radiis fulvique metalli
4 gemmarum et vario spargier astra die :
5 "Hic aliquis nostra pugnat de plebe deorum."
6 Dixit : "Mortalis non movet ista manus.
7 Aut meus est Getico natus qui venit ab Haemo,
8 aut quae de nostro vertice nata fuit."
9 Sed dum Henricus equo sese instar fulminis infert
10 atque illum in gyros quoslibet agglomerat,
11 "Castor hic est, " inquit. Cum vero assurgere tantum
12 fraxineasque videt frangere in hoste trabes :
13 "Non ego sum primo deceptus lumine " dixit :
14 "Mars, Mars est, alius non facit illa deus."
15 Verum ubi sidereos nudavit casside vultus,
16 Henricus Titan visus adesse Jovi.
17 Tum demum Henricum novit vel voce faventem
18 trisque uni est natos fassus inesse suos.

AD ERASMUM THEOLOGUM MISSO CRUSTULO QUOD MARSIMUM PANEM VOCANT

A20 v.1 Nil me lautius esse, suaviusque
 2 mensis pontificum est diu probatum.
 3 Unum sed modo dulcius repertum :
 4 argute, eloquium tuum est, Erasme.

ANDREAS ARENA LUCENSIS DOMINO NICOLAO TEGRIMI ORATORI AD IULIUM II PONTIFICEM MAXIMUM

A21 v.1 Antiqui phaleras, equos, coronas,
 2 arcus marmoreos, trophaea, signa
 3 loricata et equestria assolebant
 4 virtuti monumenta collocare.
 5 At nos praemia, quae, Tegrime, digna
 6 virtuti dabimus tuae, vocaris
 7 qui recte populi decora palma ?
 8 Nec frustra superos tibi dedisse
 9 censendum puto tanta, totque bona :
 10 clares nobilitate, nec malignis
 11 rebus aut opibus potens amicis :
 12 quam rarissima dignitas in ore !
 13 Te si quis videat repente credat,
 14 talis est facies, ducem aut regentem
 15 magnos te populos. Sed haec relinquo,
 16 Quae natura tibi manu benigna
 17 indulsit. Meliora comparasti,
 18 ut comis, facilis, modestus esses.
 19 Lingua melliflua eloquens, disertus,
 20 Caesarum pariter patrumque sacras
 21 leges ut digitos tuos recenseres.
 22 Annales veteres, novosque calles :
 23 quid quod fortia facta noluisti
 24 nostrorum populorum interire ?
 25 Si iudex placeat tibi aut potestas
 26 mitti, iudicis aut amor timorve,
 27 et fervens animo fugatur ira.
 28 Functo munere, cum libet reverti,
 29 nihil praeter populi refert amorem.
 30 Usus si veniat duces, senatus,
 31 reges, Pontifices sacros petendi,
 32 legatus quis eat repente norunt :
 33 ad te confugiunt, tuae petuntur
 34 linguae, divitiis potentiores,
 35 unde est utilitas, honos, decusque.
 36 Nuper quale refert diserte adorans
 37 Urbis nomine Julium secundum.
 38 Virtutes numero togae minores
 39 non sunt, horrida cum moventur arma :
 40 miles si dubius pererret agros,
 41 hostis si pedites equosve scribat,
 42 vulgus si trepidet timore belli,
 43 solus tu dubiae salutis auctor,
 44 tu firmos animos, serena reddis
 45 solus, quae modo nubibus latebant.
 46 Ergo praemia quae, Tegrime, digna
 47 virtuti dabimus tuae ? Videbunt
 48 hoc patres, ego civicam coronam,

49 et me perpetuo tibi obligatum.
 50 Nostri jam valeas decor senatus,
 51 et vivas Pyliam precor senectam.

ANDREAS AMMONIUS ERASMO DESIDERIO SUO S.

A22 v.1 Vis tanta, Erasme, carminis fuit tui,
 2 "Amouson" ut me prorsus et lapidem merum
 3 certare tecum iambicis adegerit.
 4 Sed vellit aurem Apollo continuo mihi,
 5 et "Rana bobus audet, aut oloribus
 6 certare corvus ? " inquit, extemplo manu
 7 delapsa nostra perculit solum lyra.
 8 Refrixit ille mentis et brevis furor,
 9 ac paucula haec aegre potui ad te scribere :
 10 addam, sed haec Apolline invito tamen.
 11 Erasme, nostri saeculi decus, vale.

ANDREAS ARENA LUCENSIS AD LECTOREM

A23 v.1 Docte liber, jam pande caput, te perlegat orbis.
 2 Debeat auctori candida posteritas.
 3 Ne timeas nasos, Alabanto vindice tutus,
 4 rugosus, solus qualibet ire potes.
 5 Et te livor edax et te detractor obibit,
 6 laedere te morsu nil tamen hi poterunt.
 7 Zoile, jam fugias tristis repetasque latebras,
 8 non haec materia est dentibus apta tuis.

EIUSDEM ANDREAE ARENAE AD LECTOREM

A24 v.1 Daedalus ingenio, pictura primus Apelles,
 2 Alcides primus viribus immodicis,
 3 Magnus Alexander bellis alterque triumphis
 4 Magnus Pompeius, sed Nero saevitia,
 5 moribus ingenuis Cato, luxu Sardanapalus,
 6 Virgilius versu, Tullius eloquio,
 7 artibus et medicis prima est Phoebeia proles,
 8 dicitur et sophia primus Aristoteles.
 9 Stephanus in logicis genuit quem Flandria felix,
 10 quae tanti partus conscia terra fuit.
 11 Hic sophiae cultor divinae doctor et artis,
 12 hic decus est patriae, hic relligionis honos.
 13 Quare opus hoc, lector, cognoscas, candide, sacrum,
 14 ad cunctos aditum si cupis esse tibi.

ANDREAS AMMONIUS REGIUS SCRIBA AD BERNARDUM ANDREAM REGIUM POETAM

A25 v.1 Quum posses miseros elegis describere amores,
 2 Bernarde, et grandi dicere bella tuba,
 3 divorum potius voluisti pangere laudes,
 4 et per Dircaeos dulcius ire modos
 5 Nasonisque sacras opponere fastibus odas.
 6 Ille vetustate est, tu pietate prior.

7 Hoc est officium vatis divumque ministri,
8 non tauris, verum laude litare pia.

**AD VENERANDUM D. IACOBUM WHYTSTONS HUMANI AC DIVINI IURIS CONSULTISSIMUM OPTIMUMQUE
&PATRONUM ANDREAS AMMONIUS REGIUS SCRIBA**

A26 v.1 Pugnabunt alii Romanae sedis in hostes,
 2 hic arcu, hic phranea, cominus ille manu.
 3 Tu vero, Whytstons, sacris pugnas monumentis
 4 atque argumentis insuperabilibus,
 5 totque hostem jaculis petis, Acroceraunia celsa
 6 quot Jovis irati dextera fulminibus.
 7 Hostis tu jugulas animam, aut herbam dare cogis,
 8 ex hoste indomitum nil superesse sinens.
 9 Quam debes Anglis, Juli, Romanaque sedes,
 10 tuque adeo summi janitor ipse poli.
 11 Qui vestram causam non solum Marte tuentur,
 12 verum etiam invicta qui ratione probant.